Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Summulae dialecticae - Cod. Ettenheim-Münster 137

Herele, David

[S.l.], [18. Jahrh.]

Assertiones logicae de natura et partibus denominationum - Disputae

urn:nbn:de:bsz:31-111525

Visual Library

ASSERTIONES LOGICÆ

DE

NATVRA ET PARTIBVS DENOMINATIONVM

DISPVTATÆ

IN ARCHIDVCALI FRIBVRGENSIVM BRISGOIAE VNIVERSITATE

PRÆSIDE

DAVIDE HERELE

SOCIETATIS IESV PHILOSOPHIAE PROFESSORE ORDINARIO:

RESPONDENTIBVS

Paulo Dirckh Constantiensi Acroniano,

ET

Matthæo Biderman Sennhemiano Alsata,

PHYSICÆ, ET THEOLOGIÆ MORALIS STVDIOSIS

Mense Novembr. Anno Salutis M. DC. LIX.

FRIBVRGI BRISGOIAE

Ex Officina Typographica Theodori Meyer.

(1659)

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK

gefördert durch Baden-Württemberg MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

Illustrissimo & Excellentissimo Domino

D. IOANNI HENRICO GARNIER L.B. SACRAE CAES. MAIEST. A CONSILIIS BELLICIS, SVPREMO VIGILIARVM PRAEFECTO, EQVITVM DVCI MILITARI, ROMANI IMP. EQVITI, SERENissimi Archiducis FERDINANDI CAROLI Consiliario, & ab intimis Cubiculis, Provinciarum Austriacarum, & Archiducalis Regiminis Supremo Præsidi, Armorum Vrbiumque Brisgoiæ ad Hercyniam Sylvam & Sueviæ Generali Directori, &c. Domino suo colendissimo.

QVi muneris fastigium intuetur, quò te virtus posuit, Illustrissime, & Excellentissime Domine, *admirabitur fortasis, quòd nomen tuum, orbi terrarum illustre, patiaris vilè paginæ impressum in lyceis circumferri: immortali Cedro te insculpsit fama, laureati verticeste venerantur, magnates æstimant, Principes amant. Cur igitur nos obscuri è plebe, te adire ausi? imò cur non ausi? toti Patriæ nostræ, ceu Sol toti vniuerso concessus es: ita radiis illustras omnes, vt de natiuo splendore nihil perdas. ita viliũ etiã animorũ glebã foues, vt tuos, hoc est, tibi addictissimos efficias. Accedit eximius favor, quo musarũ alumnos prosequeris, quẽ surrectura breui loquentur monumenta, quorum nos interea vices subimus, vt iam nunc sciant exteri, ita te publico patriæ Bono impendi, vt à summis, infimis, adæquè omnibus ceu Patriæ Pater vnice ameris; deinde famam, quantumuis eundo crescat, encomiis ac laudibus tuis nihildum affinxisse. Patere igitur,* Excellentissime Domine, *vt exordio à Dialectica ducto, panegyrin, quam mereris, cæteræ scientiæ lapsu temporis pertexant. Viue, & vt bene viuamus nos, diu viue. Ita optamus*

Ill.mæ ac Excell.mæ Dom.nis V.ræ

Infimi, & addictissimi

Paulus Dirckh.
Matthæus Biderman,

Z

PROOEMIVM.

QVòd Logica ex officio ſuo operationes mentis dirigat, malo cum communi ſupponere, quàm cum legentium faſtidio diſputare; lubuit ea delibare, quæ captui tironum accommodata, & foro Dialecticæ videbantur congrua, vnde facilior ad reliquas materias ſternatur ſemita. Placuit autem Denominationum materia, quarum vſurpatio vt in ſcholis trita, ſic Philoſopho eſt perneceſſaria ad infinitas prope alias perplexitates expediendas. Ponderabo igitur obuias aliquot difficultates, quibus doctrina hæc obnoxia eſt.

DENOMINATIONVM DEFINITIO ET DIVISIO.

1. DENOMINATIO eſt concretum quoddam conſtans ſubiecto & formâ ſeparabili. *Subiectum* eſt id quod denominatur; vnde & *denominatum* appellatur. *Terminus* verò *denominans*, à quo res appellationem ſortitur, vocatur forma. Vnde ſtatim apparet *denominationem* à *denominato* differre velut totum à ſua parte.

2. Celeberrima denominationum diuiſio eſt in *eſſentialem*, & *denominatiuam*. hæc poſterior eſt concretum importans in recto ſubiectum, in obliquo formam. Ita lac e. g. denominatur album, vinum dulce, panis niger, i. e. ſubiectum nigredinis, dulcedinis, & albedinis. Econtra *denominatio eſſentialis* eſt concretum, cuius omnes partes importantur in recto. quo ſenſu *album*, *nigrum*, *dulce* dicuntur entia per accidens. Fundamentum huius aſſertionis ponetur infra, vbi aſſeram denominationes ſolere tantùm rectis tribui, non obliquis. Et quia frequens deinceps redibit mentio de recto & obliquo; ideo

3. Aduerto breuiter, hos terminos à ſe inuicem non differre ex parte obiecti, ſed præciſè ex modo, quo propoſitionis extrema inter ſeſe nectuntur per copulam affirmativam: quædam enim vniuntur immediatè, atque identicè, *Si propoſitionis*, dicunturque prædicari *in recto*: quædam ab eadem copula afficiuntur tantùm mediatè, & quodammodo nectuntur per concomitantiam; ideóque dicuntur prædicati in obliquo.

Quòd autem idem terminus nunc in recto, nunc in obliquo; nunc eſſentialiter, nunc denominativè poſſit accipi, provenit ex arbitraria illorum inſtitutione, qui primi fuere denominationum inventores, quorum intentio fuit, vt per terminum *denominatiuè* ſignificaretur res certo modo,

ita videlicet, ut subiectum in recto, cætera importentur in obliquo. Hoc iacto fundamento.

4. Concludo primò, *Totum* siue sumatur essentialiter, sive denominativè, in suo essentiali & quidditativo conceptu nihil aliud involvere, præter omnes partes simul acceptas, quomodocunque dein importentur. Ratio. Totum essentiale e. g. *albi* habet easdem partes, quas totum *denominativum*; ergo hoc ab illo non differt per partes, sed per diversum modum prædicandi, qui per obliquum & rectum exprimitur. Desumitur hæc doctrina & fundatur in Intentione illorum, qui primi denominationes taxârunt, volueruntque partes totius denominativè sumpti alio modo prædicari, quàm prædicentur partes totius essentialis. Hinc

5. Colliges ad naturam partis non requiri, *ut unà cum alijs partibus in recto & abstracto sit convertibilis*. Imò hæc sententia divisionem n. 2. positam penitus euertit; quod sic ostendo. Seu *tò sanctum* sumatur *essentialiter*, seu *denominativè*, semper certum est, quòd pereunte solâ sanctitate, reliquis omnibus manentibus pereat totum concretum: ergo sanctitas semper erit illius pars; uti infra demonstrabitur: atqui sanctitas in concreto denominatiuè sumpto importatur in obliquo, ergo obliquus est pars; aut cum Connotantibus fatendum, dari connotationes à parte rei, entitatiuè & realiter identificatas cum aliquo, à quo possunt realiter separari: quam sententiam passim hodie à nobilissimis philosophis reiectam, in fine thesium refutabo.

6. Concludo secundò eundem terminum, si semel essentialiter, & semel denominatiuè sumatur, æquivalere duobus. Ratio assertionis fundamentalis. Quia id quod affirmatur, vel negatur, est rectus. hic enim solus in enuntiatione immediatè afficitur à copula *est*. ex hoc autem sic ulterius discurro.

Quæcunque distinguuntur in uno tertio, ea distinguuntur etiam inter se; sed album *essentiale*, & album *denominativum* distinguuntur in uno tertio; ergo & inter se. Minor probatur in subiecto syllogismo.

Sanctus est ens per accidens

DEVS est Sanctus.

Ergo DEVS est ens per accidens.

Ecce! *Tò Sanctus* in maiore præmissa sumitur essentialiter, & identicè nectitur cum *ente per accidens*. In præmissa minore idem terminus sumitur *denominatiuè*, in qua acceptione distinguitur ab ente per accidens, ergo in uno tertio distinguuntur, ac consequenter inter se. Quare cùm diversitas denominationis diuersificet terminum, & plurificet, vitiabitur syllogismus; constabit enim 4. terminis.

7. Concludo tertiò Indagaturo, *quomodo* partes alicuius concreti prædicentur, attendendum esse, quænam extrema in enuntiatione immediatè afficiantur à copula, quænam mediatè, & concomitanter: priora namq; sola involvuntur in recto, & nectuntur inter se per identitatem *vi propositionis*; non item posteriora illa, quæ vniuntur per solam concomitantiam. Declaro rem in exemplo, cùm dico: *Petrus est albus*. In hac propositione subiectum albedinis immediatè nectitur cum Petro, & quidem vi copulæ affirmatiuæ, à qua immediatè afficitur tam Petrus, quàm subiectum albedinis: at verò albedo cum Petro nectitur tantùm mediatè, & concomitanter; idcirco nempe, quia physicè unita est illi subiecto, quod identicè unitur cum Petro. Econtra cùm dico: *album est ens per accidens*, statim apparet, quòd totum prædicatum dicatur æqualiter de toto subiecto quoad omnes omnino partes; vtpote quæ omnes immediatè afficiuntur à copula *est*, quod signum est omnes prædicari in recto.

8. Neque refert, quòd aliquando formæ in obliquo importatæ de se invicem prædicari possint identicè, e. g. cùm dico:

album

album est coloratum. cuius enunciationis termini obliqui, sc. *albedo*, & *color* de se inuicem in abstracto verè prædicantur: hoc inquam, non refert: nam licèt hi duo abstracti de se mutuò immediatè affirmentur, tamen eorundem nexus identicus non infertur *vi illius propositionis*, in quâ *coloratum* prædicatur de *albo* in concreto. Ratio. Quia enunciatio illa perinde verificatur, siue color & albedo distinguantur, siue non: finge enim esse qualitates distinctas realiter; numquid nihilominus de lacte verè dicetur? *hoc album est coloratum*: sicut de eodem lacte verè dicitur: *hoc album est dulce*: quantumuis albedo à dulcedine physicè differat: quod signum est huiusmodi formas non immediatè affici à copula, nec connecti identicè vi propositionis, sed tantùm concomitanter, ac consequenter prædicari in obliquo.

9. Concludo quartò. Nullum concretum, siue accidentale illud sit, siue substantiale, multiplicari, nisi multiplicetur id, quod importatur in recto. Ratio. Quia concreta habentia eosdem rectos, non possunt de se inuicem negari, adeóque non sunt multi; ea enim quæ verè multa sunt, de se verè negantur, dicendo: *hoc non est illud*: quòd autem concreta, in quibus nulla est rectorum diuersitas de se non verè negentur, inde patet, quòd in quauis enunciatione affirmatiuâ verâ requiratur rectorum identitas, quæ immediatè affirmatur, & sicut homo non verè dicitur albus, nisi recti *subiecti* & *prædicati* identicè vniantur, ita numeralia 3. 4. 5. de nullo verè prædicari possunt, nisi ea, quæ in recto importantur, sint 3. 4. 5. Iam ergo, quia concretum *albus* in recto involvit τὸ *habens* seu *subiectum*, ideo rectè infertur, tot esse alba, quot sunt subiecta habentia albedinem.

10. Concludo quintò. Ad multiplicationem concretorum accidentalium non requiri multiplicitatem formarum, sed sufficere multiplicitatem subiectorum. Ratio. Nam subiectum propriè designatur, atque concipitur ad modum per se stantis ac independentis ab accidente: econtrario accidens concipitur vt superveniens subiecto, eique adiacens; vnde fit, vt per particulam demonstrativam non designetur accidentalis forma, nisi denominatio sumatur essentialiter: secus, solum subiectum sortitur appellationem à forma concreti; sic e. g. subiectum albedinis appellatur album, subiectum sanctitatis, sanctum, subiectum cognitionis, cognitum: ita vt tot sint visa, quot sunt diversa visionis subiecta, quamuis visio sæpius replicata in variis subiectis sit prorsus eadem. Pari ratione duo homines habentes idem regnum, possidentes idem dominium, informati ab eadem numero sanctitate, sunt duo Reges, duo Domini, duo Sancti, licèt obliqui nõ multiplicentur. Atverò si vnus homo regat simul duo Regna Hispaniarum & Indiarum, erit vnus Rex, vnus Dominus. &c.

11. Longè aliter philosophandum est de concretis substantialibus naturæ, qualia sunt, *Homo*, *Deus*. Humanitas namque per concretum *homo*, & *Deitas* per concretum *Deus* explicitè ac determinatè significatur; idcirco huiusmodi concreta sine multiplicitate naturarum non multiplicantur. Ratio. Nisi multiplex sit id, supra quod cadit particula demonstrativa *hic* de illo non verè dici poterit, *hoc* & *hoc*; imò qui de uno eodemq; Petro diceret: *hic*, & *hic*, & *ille homo* mereretur risum, quia iste modus loquendi indicat pluralitatem hominum, qualis in casu nostro nulla est. Porro in concretis naturæ diximus per Pronomen demonstrativum demonstrari Naturam: non item Personalitatem, hanc enim affero significari indefinitè, & indeterminatè in concretis substantialibus naturæ. Neque refert, quòd de 3. divinis Personalitatibus rectè dicatur, *Pater est hic Deus*; & *Filius est hic Deus*; & *Spiritus S. est hic Deus*. Nam in his propositionibus particula copulatiua *et* cadit immediatè

 supra

ſupra Perſonalitates, & non ſupra concretum *Deus* ergo multiplicat tantùm concretum Perſonæ, non item concretum Naturæ, ad cuius poſterioris multiplicationem requiritur, ut eadem dictionis proprietate particula copulatiua præfigatur concreto naturæ: ſicut ergo ex modo loquendi, quo aſſerimus, *hunc & illum, & iſtum hominem eſſe mortuum*, vulgò omnes colligunt plures quàm vnum eſſe mortuos, ita pari ratione colligent omnes illũ, qui affirmat *hunc & illum & illum Deum eſſe mortuum*, aſſerere plures Deos mortuos, aut contra mentem philoſophorum à vulgari receptaque vſurpatione vocum recedere. Rectè igitur ex originaria vocum impoſitione deducitur, particulam *et* præfixam concreto naturæ determinatè naturam ſignificare.

12. Dices: Qui ait: hunc Deum, deſignando Patrem: & hunc Deum, deſignando Filium, eſſe omnipotentem, &c. non errat; ergo ex multiplicitate particulæ copulatiuæ non deducitur multiplicitas terminorum, quos immediatè afficit. R. ex mente Summuliſtarum, & in rigore Logico hunc loquendi modum eſſe ineptum, & falſum, quo quis de eodem ſimpliciſſimo ente dicit: *hoc ens, & hoc ens eſt omnipotens:* revera enim ex communi hominum perſuaſione & originaria vocum impoſitione talis propoſitio eſt copulatiua, & exprimit pluralitatem terminorum, qui per copulam *et* diſtribuuntur, ut paſſim tradit Caſilius, & cum illo reliqui Summuliſtæ. Igitur aſſero in rigore Logico particulam copulativam *et* multiplicatam nõ cenſendam convenire concreto *Deus*, ſed Perſonis, quæ verè multiplicantur: eſtque receptiſſimus loquendi modus, quo dicimus, *hanc, & hanc, & illam Perſonam, quæ ſunt hic Deus, eſſe omnipotentem*; in quo modo particula *et* multiplicat ſolas perſonalitates, & ſumitur in vſurpatione originaria vulgò ab omnibus recepta. Hinc ulterius deducitur nõ debere voces vſurpari in ſignificatione illa, quæ deſumenda ſit ex interna quadam privati hominis intentione, ſed quæ ex communi & legitima taxa illorum recepta eſt, qui in prima vocum ac Idiomatum Inſtitutione poteſtatiuè voluerunt, vt per concretum ſubſtantiale Naturæ aliud deſignetur, & demonſtretur, quàm per concretum Perſonæ. Verùm hæc prolixius examinare nec vacat, nec expedit. Videantur Theologi de Inc. & Commun. Idiom.

DENOMINATIO INTRINSECA, EXTRINSECA, ET MIXTA.

13. ALia celebris Denominationum diviſio eſt in purè intrinſecam, purè extrinſecam, & mixtam.

Purè intrinſeca eſt, cuius forma adæquatè inexiſtit ſubiecto denominationis. Purè extrinſeca, priori è diametro oppoſita eſt, cuius forma eſt adæquatè extra ſubiectum denominationis. Mixta denique eſt cuius forma partim eſt intra, partim extra ſubiectum.

Porrò vix videtur contingere, ut detur denominatio purè extrinſeca; ita ut illius concreti forma non conſtituat cum alio ſubiecto denominationem purè intrinſecam, loquendo ſaltem de accidentalibus denominationibus. Oſtendo rem in exemplis. *Albedinem in me eſſe Viſam: Deum a me eſſe cognitum*; ſunt denominationes purè extrinſecæ, deſumptæ à viſione, & cognitione, tanquam formis extra ſubiectum poſitis; & tamen hæ eædem formæ vtpote actus vitales immanentes inexiſtunt principio vitali, quod denominatur *Videns, cognoſcens*, & quidem per denominationem purè intrinſecam. Pari ratione rò eſſe *Genus, Speciem, differentiam: accidens, Vniuerſale*, eſt denominatio purè extrinſeca, proveniẽs à cognitione abſtractiua, quæ naturæ vniverſali non inexiſtit; inexiſtit tamẽ Intellectui, quem denominat abſtrahentem. Ratio. Quia naturaliter non contin-

tingit unquam, ut subiectum accipiat denominationem à forma accidentali, quæ sit ab omni subiecto abstracta; nam accidenti omni commune est, *vt insit subiecto*, sic mea cognitio, etsi non insit Deo, tamen inest animæ: ergo semper cum illo subiecto, cui inest, constituet denominationem purè intrinsecam.

14. Cæterùm quomodocunque sumatur denominatio, assero cum communi & hodie receptissima, formam illi toti semper esse intrinsecam: quam veritatem abunde ab aliis demonstratam, nolo ulterius discutere. Pauca subtexo, quæ turbare forsan tironem possent. Itaque

15. Videri posset obstare huic sententiæ; Primò, quod inde sequatur, posse dari nouam denominationem sine nova parte, quod nos ipsi velut ingens paradoxum detestamur. Sequela probatur. Finge, quòd Sempronius offenderit Patrem. Hic Sempronius, ut satisfaciat patri pro offensa, elicit hunc actum in Inst. A. *offero Patri meo pro satisfactione offensæ illum actum Voluntatis, qui eidem summè placebit ex omnibus, quos per totam Vitam eliciturus sum.* Deinde in Instanti B. ait Pater hunc ipsum actum sibi maximè placere. Hoc posito, probo dari nouam denominationem absque noua parte denominationis intrinseca. Nam actus Sempronij in Instanti A. non offert seipsum *determinatè* in Instanti B. offert seipsum *determinatè*: ergo in Instanti B. ponitur noua denominatio. Hæc certa sunt. Probo nunc, non poni nouam partem. Si poneretur nova pars, esset acceptatio Patris; atqui hæc acceptatio præsupponit totum actum Sempronij, qui actus est *oblatio*, quæ ex natura sua præsupponitur ad acceptationem, debet enim vtique aliquid acceptari, quod ab ipsa acceptatione sit adæquatè distinctum: ergo patris acceptatio non potest esse pars illius actus Sempronij seipsum offerentis, alioquin legitima foret hæc illatio, qua sic inferrem; acceptatio supponit omnes partes oblationis; atqui vna pars oblationis est acceptatio; ergo hæc præsupponit seipsam; vel non est pars: quod ultimum si concedatur, procedit obiectio, & cadit nostrum fundamentum.

16. Rs. Naturâ acceptationis non esse, vt præsupponat totam efficaciam actualem *oblationis*, sed sufficere, vt præsupponat efficaciam in actu primo. Itaque acceptatio patris non debet ferri in totam efficaciam oblationis, sed præcisè fertur in actum offerentis specificatiuè sumptum, quem dum acceptat, eoipso reddit efficacem: atqui acceptat illum tantùm sub prædicato honestatis, quæ placet Patri; & non sub formali conceptu *seipsum offerentis*: & sic potest actus Sempronij præsupponi ad acceptationem Patris spectatã secundùm se; etsi ad eam non præsupponatur secundùm omne prædicatum, quo prædita est.

17. Declaro Rs. per Instantiam. Pone albedinem A. esse causam albedinis B. hoc posito albedo A. in ratione causæ physicæ erit naturâ prior respectu albedinis B. & tamen in instanti reali productionis constituitur per albedinem B. in ratione *relationis prædicamentalis similitudinis* sub qua acceptione impossibile est albedinem A. præsupponi ad albedinem B. Nihil igitur paradoxum est, quod entitas aliqua secundùm vnum prædicatum præsupponatur ad aliam entitatem, à qua sub alia item acceptione intrinsecè tanquam per partem constituitur.

18. Videtur nostræ sententiæ obstare secundò quòd inde sequantur varia absurda, videlicet, quòd relatio prædicamentalis sit relatio extrinseca desumpta à termino, velut à parte: item quòd possit mihi donari totum aliquod, etsi non donentur omnes partes totius; imò posse solui totum debitum, etsi non solvantur omnes partes debiti. De relatione quid sentiamus, patebit paulò post: reliquas sequelas, utpote exigui ponderis, breuiter expedio. Sic instant aduersarij.

19. Pos-

19. Possum Titio donare totam domũ antiquam, licèt durationes præteritas non donem. qui Petro dat totam cœnam, non tamen dat tempus vespertinum: qui mihi tradit equum promissum, non eoipso tradit promissionem: & tamen durationes præteritæ sunt partes domûs antiquæ, tempus vespertinum est pars cœnæ, & promissio est pars equi promissi. Ad hanc inquã instantiã nõ magni momenti breuiter Rx. denominationem totius non cadere supra omnes partes, sed illis solis competere, quæ in recto prædicantur, vt constat ex 600. instantijs. e. g. Petrus S. denominatur Deo gratus, lac album dicitur substantia, Iudas proditor damnatus, totus homo destructus: quarum denominationum sensus est, subiectum sanctitatis esse Deo gratum, subiectum albedinis esse substantiam, subiectum proditionis damnatum, habens humanitatem non constare amplius omnibus partibus. Ea quæ relationem prædicamentalem concernunt, quidam valde vrgent, certò sibi persuadentes ipsce argumentis sententiæ nostræ iugulum peti. Nolo hic vberrimam relationis materiam ex professo tractare; solùm positiones aliquot subiungo cum hactenus dictis cohærentes, vnde colligi possit, quid roboris & acuminis adversariorum tela habeant.

POSITIONES EX RELATIONE.

POsitio I. Relatio prædicamentalis non est adæquatè identificata cum fundamento Ita docent Hurt. Mend. Arri. Ouiedo hic §. 3. n. 19. S. Th. opusc. 48. tr. 3. c. 3. & RR. Ratio. Alioqui poni posset nova denominatio sine nouæ partis positione, quod velut absurdum ab aliis solidè probatum suppono. Sequela prob. Albedo A. sola existens non est similis vlli alteri: quamprimum verò ei incipit coexistere albedo B. hoc ipso redditur similis; ergo acquirit denominationem novam: atqui id, quod de novo ponitur, est sola albedo B. ergo si albedo B. nõ est pars similitudinis, dabitur denominatio noua sine noua parte; quod tamen impossibile nobiscum censent Rec. Communiter post S. Th. opusc. 48. q. 25. Auersa q. 25. s. 2. Hurt. Mend. d. 15. Met. s. 3. §. 25. Arriaga hic s. 9. Lugo. Ouiedo Contr. 9. Met. pu. 4. §. 3. n. 19. vbi ait hanc esse sententiam Aristotelis, & omnium politiorum Recentium huius temporis, qui fatentur sequentem syllogismum euidenter concludere.

Pereunte termino perit relatio: Pereunte termino, non perit fundamentum; Ergo fundamentum non est adæquatè tota relatio.

20. Respondent Connotantes, fundamentum non quomodocunque acceptum, sed vt *connotans* terminum adæquatè identificari cum Relatione. Contra. *Tò connotare terminum* vel est aliquid distinctum à fundamento vel non? Si affirmas? ergo Relatio præter fundamentum iam involuit aliam entitatem, vt partem, sc. *connotationem*, quâ sola sublata, perit formaliter Relatio. *Si tò connotare* nihil à fundamento est distinctum, ergo frustra coacerauantur vocabula, & fatendum nihilominus, fundamentum solum, quomodocunque sumptum adæquatè identificari cum Relatione.

21. Dicunt, pereunte termino, e. g. Ioanne, & remanente fundamento, sc. Petro, perire relationem *paternitatis* tantùm quoad denominationem, non autem quoad entitatem patris. Contra. Id quod *verè*, & à parte rei est, verè denominatur esse id, quod est: atqui per te *verè, entitatiuè, realiter* manet Relatio paternitatis, manente solo fundamento, ergo verè denominabitur Relatio; adeóque pereunte termino non perit relatio.

Declaro. Pereunte anima leonis, perit formaliter denominatio leonis. Cur? quia anima leonis intrinsecè constituit entitatem leonis, & malè loqueretur is, qui asse-

reret

teret, pereunte anima leonis perire solam denominationem leonis: nam leo, ideo denominatur leo, quia verè est leo; & non ideo est leo, quia talis appellatur: ergo à pari non ideo paternitas est verè relatio, quia denominatur, sed econtra, ideo denominatur, quia talis à parte rei est.

22. Eodem modo refutatur &. eorum, qui volunt pereunte *termino* perire *conceptibilitatem patris*, non vero entitatem *paternitatis*: nam contra est: si res aliqua verè manet, utique potest concipi; ergo manet conceptibilis. Deinde. Cōceptibilitas, estne aliquid realiter distinctū ab entitate Patris? si non? denuo infertur quòd manente sola entitate patris, maneat realiter conceptibilitas paternitatis. Si verò asseris esse quid distinctum, iam fateris relationem non consistere in solo fundamento, sed superaddendam conceptibilitatem entitatiuè à relatione distinctam.

23. Dices, pereunte solo termino, manere conceptibilitatem paternitatis tantùm *realiter*, non *formaliter*. Contra. Quid est, *conceptibilitatem perire formaliter?* estne tantùm hoc, quòd pereat tuus conceptus? verùm hoc modo Pater etiam dum coexistit suo Filio, desinet esse Pater *formaliter*, pereunte solo tuo conceptu, quod in terminis absurdū est. Itaque præter conceptum inuoluitur aliquid aliud intrinsecè constitutiuum relationis: quid illud?

24. Positio II. Duæ albedines coexistentes, sunt *formaliter* similes, absque alia *formalitate* resultante, vel quomodocunque pullulante ex fundamento, estque illa *formalitas* planè superflua, & qui illā requirunt, multiplicant entia sine necessitate: sequelam ostendo.

Quando vtraque albedo ponitur in eodem signo naturæ, oritur quæstio, an formalitas relationis similitudinis pullulet ex vtraque albedine, vel ex alterutra. si ex alterutra? dic vtra sit, si ex vtraque?

Contra argumentor primò. Prius est, saltem per conceptum *τὸ esse 2. albedines*, quàm *τὸ resultare ex vtraque*. In illo igitur signo rationis, in quo coexistunt duæ albedines, iam ex Communi hominum persuasione vna esset alteri similis, etsi nulla pullularet formalitas, reuera enim iam existunt ea, quæ ad formalem similitudinem communiter etiam à doctis desiderantur, nec quisquam prudenter adhuc ambigeret, an quid deesset in ordine ad talem denominationem; quæ omnia ex communi hominum iudicio, & æstimatione colligi debent.

Contra argumentor secundò. Finge Petrum & Paulum esse æquales meritis, & gratia: numquid erunt etiam æquales in sanctitate? (cæteris paribus, & seclusis specialibus decretis.) Numquid ambo merebuntur æquale præmium? numquid præmium gratiæ, & hæc merito commensurabitur? Vtique.

Ex his autem sic discurro. Gratia commensuratur merito *quà tali*: sed meritum *quà tale* est actus liber voluntatis: tua *formalitas* est aliquid necessarium extra conceptum meriti; ergo datur æqualitas inter gratiam & meritum antecedenter ad omnem *formalitatem*; adeóque hæc *formalitas* non pertinet ad conceptum relationis. Ego sanè non possum vsque eo corrigere intellectum, vt credam, quantitatem A. coexistentem quantitati B. quam nec excedit, nec excedit, nondum esse *formaliter* illi æqualem, sed expectandam esse fictam *formalitatem*, cuius nullum extat fundamentum.

25. Positio III. Sicut de toto denominatiuo potest aliquid prædicari, etsi non prædicetur de illius partibus, ita relationi convenit denominatio, quæ non tribuitur illius partibus. Porro, etsi relatio tota nō dicatur *ad aliud* à se adæquatè distinctū, rectè tamen dicitur ad aliud. h. e. ad suum correlatiuum. Vnde relatiua cùm dicuntur ad aliud, bis concipiuntur; semel in recto, & semel in obliquo; sub qua diversitate conceptuum commodè saluatur

vsitatus modus loquendi, quo dicitur relatio esse ad aliud. Ex his infert non nemo, nobis concedendum esse, quòd fundamentum sit inadæquatè relatio. Concedo illatum. Si sensus sit, esse partem relationis saltem in actu primo: quid enim hoc, obsecro, absurdi est?

26. Ratio cur *Pater* sit terminus relativus, non est hæc, quia fundamentum in recto, terminum importat in obliquo; sic enim termini connotatiui cum relatiuis confunderentur. Itaque melius discrimen est istud, quòd terminus relativus *primariò*, & *principaliter* exprimat aliquam rationem fundandi, quæ ratio per connotatiuum vel ommino non, vel solum *concomitãter secũdariò*, ac *minùs principaliter* exprimitur. Sic e. g. *cœna* significat quidem coexistentiam comestionis & temporis vespertini, sed *secũdariò* tantùm: nã *primariò* significat differentiam à prandio, quam significationem seruaret, etsi inter comestionem & tempus vespertinum daretur identitas; quo casu dato, adhuc cœna differret à prandio, etsi tunc nulla exprimeretur coexistentia: perinde ut nix maneret adhuc alba, etsi albedo à niue foret indistincta, atverò per nomen *paternitatis* principaliter exprimitur *Generatio filij*: per nomen *similitudo* primariò significatur duarum albedinum coexistentiũ conuenientia secundùm essentialia prædicata: qui modus significandi clarè exprimit distinctionem duorum.

27. Positio IV. Est igitur Relatio prædicamentalis *conceptibilitas, siue radicalis comparabilitas fundamenti cum termino, tali conceptu, qui principaliter exprimat rationem aliquam fundandi.* Est autem hæc *conceptibilitas* non merè ficta, sed fundatur in habitudine vnius ad aliud, quæ verè sine ulla fictione datur: verè enim utraque albedo in recto, considerata antecedenter ad conceptum *relationis similitudinis* est ratio fundandi similitudinem, mereturque concipi apprehensione disparata, ac deinde primùm quadam habitudine, & convenientiæ ad se invicem, in qua fundatur relatio similitudinis: vnde vlterius infertur, relationem esse ens reale, & quemadmodum tantùm est logicum accidens, ita rectè per nexum merè logicum explicari: nempe per nostram comparationem, qua confertur cum nexu physico, aut instar illius concipitur, licèt à parte rei physica & realis connexio non detur. Requiro igitur ad relationem diversitatem conceptuum non qualemcunque, sed certam. Pro quo

28. Nota, diuersitatem conceptuum ab AA. assignari duplicem. Prima est *materialis*. quando videlicet duæ cognitiones pertinentes ad diuersos rerum ordines, ac status, in modo repræsentandi obiectum non differunt. e. g. cognitio naturalis & supernaturalis sunt diversi ordinis; si tamen ambæ idem obiectum eadem claritate repræsentent, & Intellectum in ordine ad ferendum iudicium de obiecto æqualiter illustrent, dicentur differre tantùm *materialiter*.

At *formalis* conceptuum diuersitas consistit in diuerso modo repræsentandi, qui modus ad formanda varia iudicia determinat, pro maiore scilicet, minoréve claritate cognitionis obiectum *formaliter* repræsentantis, & talis diuersitas datur inter conceptus *recti* & *obliqui*, qui in relatione vnà cum eo, quòd *principaliter*, atque *primariò* exprimant rationem fundandi, sufficit, vt dicatur res tali conceptui subsistens, relatiuè concipi.

29. Positio V. Paternitas *denominatiuè* sumpta, importans solum fundamentum in recto, verè de Petro prædicatur, dicendo: *Petrus est paternitas*. Neque obstat, quòd eadem paternitas tota de eodem Petro prædicetur in obliquo, ut patet ex sequenti propositione: *Petrus est Pater*: quæ sic exponitur: *Petrus est habens paternitatem*. Solùm aduerto *paternitatem* in eiusmodi propositione bis concipi,

semel

ſemel ex parte ſubiecti, & ſemel ex parte prædicati, quod non peregrinum eſſe, ex tritis ac vulgò receptis exemplis patet, vt: *Deus* rectè dicitur *habens Deitatem:* etſi non minus rectè dicatur: *Deus eſt Deitas, Petrus eſt Petreitas, &: habens Petreitatem. Rationale eſt rationalitas, &: habens rationalitatem.* Vbi vides Deitatem, &c. ex parte ſubiecti ſumi in recto, & per modum ſubiecti, quocum identicè nectitur. ex parte verò prædicati accipi in obliquo per modum formæ. Pari ratione, quia *paternitas* ſuas partes conſtitutiuas eodem modo importat, quo concretum *Pater*, minimè mirum videri debet, ſi tam abſtractum, quàm concretum de Petro prædicentur in recto, modò etiam dicatur, eandem paternitatem in vna eademque propoſitione bis repræſentari, ſemel per modum ſubiecti in recto; & ſemel per modum formæ in obliquo; quod apud Sumuliſtas toties vſurpatur, quoties ex parte prædicati ſuperuenit abſtractio formæ à ſubiecto cum eadem forma realiter identificato. Interim fateor hanc propoſitionem: *Petrus eſt Pater* magis philoſophicè ſic exponi: *Petrus eſt habens coexiſtentiam cum Filio à ſe genito.* In qua expoſitione ſolum fundamentum in recto importatur.

30. Poſitio VI. Non ſolùm meliori philoſophiæ, ſed rationi quoque magis conſentaneum eſt, ut denominatio cadat ſupra ſolum fundamentum, ita ut *per ſe loquendo, obliqui* non denominentur. Et ſanè infra poſitæ enunciationes ſic expeditè & benè exponuntur, *Pater eſt ſanctus; ſimilitudo eſt deſtructa. Filius eſt mortuus.* ut ſenſus ſit, *habens coexiſtentiam cum filio genito eſt ſubiectum ſanctitatis, habens coexiſtentiam cum generante eſt mortuus.* Deſumuntur autem hi modi loquendi ex communi ſenſu hominum conſentium, peteunte vna parte, e. g. ſola vnione, deſtrui totum hominem: deſtructa ſola albedine, perire *formaliter* totam relationem ſimilitudinis. Suntque planè ſynonima hæc 2. *Vna ex duabus albedinibus perit: &: non amplius coexiſtunt duæ albedines.* ex hac autem vtraque immediatè bene infertur tertia: *non exiſtit tota ſimilitudo,* cui æquivalet hæc: *tota ſimilitudo eſt deſtructa:* Eodem modo denominatio *Sancti* tribuitur ſubiecto ſanctitatis, denominatio *albi* tribuitur ſubiecto albedinis; etſi albũ in *eſſe albi* æquè cõſtituatur per albedinem, quàm Pater *in eſſe Patris* per terminũ coexiſtentẽ, & rationẽ fundandi. Quæ doctrina quoad poſtremã partẽ conformis eſt S. Thom. ut clariſſimis teſtimoniis cõvincit Hurt. d. 15. Met. vnicum ſubiungo

31. Opuſc. 48. tr. 5. c. 3. ſic loquitur. Angelicus Doctor: *Eſſe relatiuorum importat fundamentum & aliquid vltra, ſcil. terminum.* Ecce! quàm clarè dicat S. Thomas relationem plus dicere, quàm ſolum fundamentum. Idem S. Doctor c. 2. hìc habet ſequentia verba: *Similitudo requirit duo alba realia, quorum vnum eſt fundamentum, &c.* Non dicit terminum præciſè connotari, ſed videtur planè per ipſum modum loquendi exprimere, & indicare, quòd terminus intrinſecè ut pars conſtituat relationem. Ratio: quia malè dicitur album requirere *ſubiectum, albedinem, & Deum:* hic, inquam, loquendi modus vitioſus eſt, præciſè ideo, quia Deus non eſt ex intrinſecis conſtitutiuis *albi* licet connotetur: ergo cum S. Th. ad ſimilitudinem expreſsè requirat *duo alba* cenſendus eſt ſenſiſſe, quod utraque albedo ſit pars ſimilitudinis. Interim idem Angelicus Doct. non negat, ſtante hac doctrina verè adhuc dici, *Pater eſt ſanctus,* etſi prædicatum de ſola entitate dicatur, quæ ſanctitati ſubiicitur. Cæterùm, cùm aduerſarij eundem S. Th. pro ſe citant, tales adferunt textus, qui commodè explicantur, dicendo, quòd terminus non ſit intrinſecus fundamento relationis, etſi ſit intrinſecus toti relationi. Ex dictis ſit

Corollarium I. Rectè docet Ouiedo

Contr. 9. Meth. pun. 4. num. 30. In relatione prædicamentali nihil esse intrinsecè *prædicamentaliter respectiuum*: sed ad summum *transcendentaliter*, estque relatio similitudinis (idem dic de reliquis) merum aggregatum quoddam ex entitatibus absolutis habentibus certam habitudinem ad se inuicem, in qua relatio illa fundatur.

Corollarium II. Relatio prædicamentalis non est ens rationis merè fictum, sed reale, prout τὸ *reale* opponitur, enti fictitio. Nam licèt *relatio* sit mera *conceptibilitas*, sciendũ tamẽ est, duplici modo dici rẽ aliquam conceptibilem; primò per fictionem intellectus concipientis rem ex intrinsecis prædicatis implicantem, velut si esset possibilis; & per hanc conceptibilitatem non constituitur *Relatio*. Secundò igitur ens conceptibile dicitur illud, quod sine fictione meretur concipi per cognitionem veram, & obiecto conformem: quæ conceptibilitas est ens reale, videlicet habitudo vnius ad aliud. Vnde vlterius deduces

Coroll. III. Zenonem, eiusque assecias, si negârunt omnes omnino relationes etiam transcendentales (uti aliqui suspicantur) utique bene convinci erroris. Quod si verò locuti sunt de solis prædicamentalibus; explicandi sunt, dicendo, eos docuisse entitatẽ albedinis A. secundùm se nudè acceptã esse absolutam, nec denominari similem ab aliquo purè intrinseco, sed similitudinem esse denominationem partim extrinsecam. In qua acceptione, non video, quid culpari possit.

Coroll. IV. Si Ioannes ante 30. dies posuisset omnia ad Generationem Petri necessaria, & post immediatè moreretur antè quàm animetur fœtus: quodsi deinde post 30. dies vel plures fœtus animetur, ac demum Petrus nascatur, in rigore dicendum Petrum non habere Patrem; hinc eiusmodi liberi vocantur in Iure Posthumi. Interim in sensu minus rigoroso cõcedendum est Ioannem fuisse Patrem Petri, cò quòd posuerit primam dispositionem ad Generationem Filij, vnde ulterius colliges existentiam Ioannis saltem præteritam includi in hac tali minus stricta relatione paternitatis, sine qua existentiã non fuisset Generatus filius. Pari ratione in sensu ampliatiuo Petrus genitus dici potest filius Ioannis mortui. Dixi in sensu ampliatiuo, quia iudico probabiliorem sententiam illorum AA. qui docent, relationem prædicamentalem non dari, nisi ad terminum actu existentem.

Coroll. V. Relationem prædicamentalem absolutè & simpliciter loquendo non esse *ens per accidens*, sed cũ addito, *Ꝟnum per accidens Ꝟnitate physica*: non item *Ꝟnum per accidens Ꝟnitate logica*: nam entitates illæ physicæ & absolutæ sunt quidem plures, & ex earundem aggregato fit *relatio prædicamentalis*: logicè tamen illæ res considerantur per modum vnius simplicis entitatis, quæ unitas facit, ut aggregatum omnium illarum entitatũ pertineat ad prædicamentum speciale, & diuersum ab illo, ad quod pertinent res, ex quarum aggregatione consurgit relatio: uti prolixius cit. Oui. prosequitur n. 31

DE REGVLA PARTIVM.

32. Ex hucusque disputatis facile colligitur, omne id esse intrinsecè constitutiuum totius, *quo siue realiter, siue per conceptum ablato, reliquis omnibus siue realiter, siue per conceptum manentibus, non manet totum tali nomine significatum.* Econtra id omne erit mera conditio, *quo per conceptum ablato, reliquis per conceptum manentibus, adhuc manet totum tali nomine expressum.*

33. Hæc regula, nisi perperam explicetur, æquè certa est, quàm quòd totum nihil sit præter omnes partes simul & collectiuè acceptas, siue (quod idem est) quàm omnia intrinseca constitutiua totius: nam reipsa

reipsa regula hæc planè idem asserit; nempe id, quo solo non posito, positis omnibus aliis, non sunt posita omnia constitutiua totius, esse vnum ex constitutiuis totius. Hinc statim elucet, quòd terminus sit pars relationis prædicamentalis; non item transcendentalis: nam positis omnibus, quæ non sunt entitas filii, & hac solâ non positâ, nondum censetur posita relatio paternitatis; ergo necdum existunt omnia illius constitutiua, si enim posita essent omnia constitutiua Relationis, iam eo ipso esset posita tota relatio: aut cõcedi deberet totum esse aliquid aliud præter omnes partes simul sumptas: quod absurdum est: iam ergo cùm desit sola *filiatio*, hæc erit relationis pars. Econtrariò, sublatis omnibus, quæ non sunt formalis & vitalis repræsentatio obiecti e. g. muri, & manente solo illo actu, qui murum vitaliter repræsentat, manet *formalissimè* tota cognitio muri, habens respectum essentialem ad murum, sicut imago Cæsaris ad Cæsarem, etsi Cæsar mortuus sit; ergo murus tam parum est pars cognitionis, quàm Cæsar imaginis.

Disparitas inter respectum transcendẽtalem & prædicamentalem, tam est palmaris, vt pigeat referre. Breuiter. Nexus Relationis *prædicamentalis* tantùm est logicus. Nexus verò relationis *transcendẽtalis* e. g. vnionis vel actionis est physicus, ac talis, vt nec diuinitus poni possit productio, nisi recipiatur in termino, estque productionis essentialis ordo ad suum terminum productum At fundamento, vel termino relationis *prædicamentalis* e. g. albedini A. non est essentialis ordo ad albedinem B. ita vt sine reali nexu cum albedine B. non posset existere albedo A. Porro murus non dicitur vitalis imago, aut actus potentiæ cognoscitiuę, sed obiectum illius cognitionis, & si implicaret omnis potentia vitalis, adhuc tota muri essentia maneret, ergo obiectum adæquatè distinguitur à cognitione, & pessima est illatio amodistarum, qui sic inferunt: solo angelo sublato perit illius productio; ergo productio est pars Angeli: pessima, inquam, consequentia, quia sublationem angeli tantùm arguitivè sequitur destructio productionis: vti passim & solidè probant modistæ.

34. Probatio huius regulæ sumitur primò ex Arist. 4. Met. t. 9. vbi ex lumine naturæ supponit, *non posse idem simul esse, & non esse*: ex quo principio, sic rectè discurritur. Si omnes partes collectiuè sumptæ sunt totum, tunc si existant omnes, eo ipso, existet totum; alioquin idem simul existeret, & non existeret, quod teste Philosopho repugnat lumini naturæ. Consentit Consal. asserens, non videre se, quid denique certum sit, si hæc consequentia certa non est. A. est adequatè idem cum B. perit A. ergo perit B. Ex Recentibus idem tenet Casilius in sumulis. Hurt. de Mend. d. 15. metaph. de Relat. s. 3. §. 51. citans pro eadem S. Thom. quem ait §. 8. s. 2. tam apertè stare pro nobis, vt meritò possit obijci Caietano, ab ipso non intellectum S. Thomam. Arriaga d. 14 Log. de veritate. Ouiedo c. 1. log. pu. 2. Card. de Lugo de 2. de sacram. n. 128. & eam more suo soli dè probat P. Christoph. Haunoldus in eruditis thes. de Anima rationali. cap. 4. §. 4. & 5. cuius argumenta adhuc impune lacessita adeò nihil de robore suo perdiderunt, vt credam magis firmata fuisse. pro eadem opinione stat Vazq. 1. p. d. 147. c. 1. Ex antiquis nobiscum sensit Seneca ep. 76. M. T. Cic. l. 1. de inuent. Cæterùm non desunt hodieque graues aduersarij, qui eam acriter impugnant. Omissis Theologicis, quæ refert, & soluit Lugo, vnum alterúmue disputationis gratia subiungo.

35. Hæc reg. supponit notitiã partis, quæ indagatur: qui enim ignorat A is stanque hac ignorantia nescit, quandonam ex defectu partis tollatur A. vt enim hoc non ignoret, debet scire quænam sint constitutiua ipsius A. atqui hoc ipsum indagatur; ergo reg supponit notitiam rei, quæ indagatur.

Decla-

Declaro rem in exemplo. Qui dubitat num tempus vespertinum sit pars *cœnæ*, debet scire, quid per nomen *Cœnæ* significetur: ergo debet scire partes *cœnæ*, inter quas etiã est tempus vespertinum, de quo dubitatur: quamdiu enim dubitas an hoc tempus sit pars *cœnæ*, non potes inferre, quod eo solo sublato pereat denominatio *cœnæ*, quia nescis an sit sublata pars: vt igitur possit fieri talis illatio, requiritur notitia, quâ scias, quòd tempus vespertinum sit pars. Ecce! supponitur notitia illius, quod inuestigatur.

36. Ad hanc obiectionem ℟. *Totum* posse variè concipi. e. g. *Homo* aliter concipitur à rustico, aliter à Philosopho. Prior concipit hominem per modum substantiæ corporeæ, animatæ, cum tali figura, proportione membrorum, operationibus &c. qui conceptus *hominis* est vulgaris. Iam ergo Philosophus indagans in partes constitutiuas hominis *Genus* scil. & *differentiam* debet scire, quid per vocem *homo* designetur conceptu vulgari, h. e. quid homines communiter velint significare per illam vocem; sub qua notitia non investigat illius partes, sed eam velut omnibus notam supponit, atq; sic ratiocinatur. Sublatâ sola vnione inter corpus & animam hominis, perit homo: ergo non amplius est totus homo; prout hic communiter concipitur, igitur deest pars: atqui ponitur deesse sola vnio; ergo vnio est pars.

37. Hinc colligo falsum esse, quòd hæc reg. non nisi raro sit vsui: quasi verò is, qui explorat an vnio sit pars hominis, debeat lustrare angulos totius vniuersi, num fortè in eorum aliquo delitescat? quorsum tam laboriosi conatus? an non pleræque entitates etiam à rudissimo quæque sciuntur esse extra conceptum hominis, cuius partes indago? quis examinans partes leonis, etiam hircocerui & hippocentaurum in examen vocat? certum est quædam extra controuersiam esse posita, paucula in quæstionem venire. sic e. g. recedente anima, nemo dubitat perire totum hominem: cur ergo philosophus notans hunc defectum solius vnionis, non inferat conformiter vulgari omnium persuasioni, vnionem animæ pertinere ad intrinseca constitutiua hominis? Idem de cæteris denominationibus iudiciũ esto, quæ omnes iuxta taxam ac primæuam hominum Institutionem, suam significationem sortiuntur, vnde sublata vna entitate, facile apparet an maneat id, quod vulgari conceptu per vocem illam exprimitur.

38. Impugnatur hæc reg. à non nemine secundò. Pleræque conclusiones inde deductæ sunt nullius fidei, quia pendent à conditione inimplebili; communi autem persuasione hactenus creditum est, nullam veritatem conditionatam transire in absolutam nisi impletis conditionibus; vnde nemo concesserit ex hac conditionali: *si sol ortus est, dies est*: inferri absolutè posse hanc: *ergo dies est*. nisi prius impleatur conditio, ic. *quod ortus sit sol*. cùm igitur in nostra regula sæpe conditio sit impossibilis, & consequenter inimplebilis, sequitur conclusiones inde deductas esse nullius fidei.

Antequam ℟. adverto, in hac obiectione malè confundi hæc duo: *propositionem conditionatam transire in absolutam*: & *nõ posse ex conditionali deduci aliquã absolutam bonæ fidei*. Prius bene probat obiectio, neque id regulæ nostræ aduersatur: posterius non conuincit. Nolo illius refutationi diu immorari: ex his quæ subnecto, mentem meam explano, & argumentum soluo.

39. In receptissima tum Theologorum, tum etiam philosophorum sententia, voluntas perinde mouetur à bono fictitio (si modò appareat voluntati esse bonum) quàm à vero bono; voluntas enim eo modo fertur in obiectum, quo obiicitur; si ergo peccatum ei repræsentetur vt bonum, illud amabit, non obstante malitiâ, quam non videt. Pari ratione intellectus æquè satiatur & mouetur ab obiecto & actu falso, vt ei assensum

sensum præbeat [illegible]dò appareat esse verus) quàm moueatur ad præstandum assensum actui vero, vti experientia docet; imò sicut frequenter contingit, vt intellectus per iudicium erroneum assentiens obiecto decipiatur; ita potest duo eiusmodi iudicia erronea (quæ tamen supponit vera esse) vsurpare velut media ad deducendam tertiam veritatem absolutã, licèt hæc cum illis 2. actibus nullam habeat connexionem, nisi conditionatam. Est ergo aliud; *rò conditionem realiter esse inimplebilem &: eandem fingi impletam.* c. g. cum dico. *si existat aliquid, quod nõ est Deus, etiamsi Deus non esset, id erit creatura: Verum est antecedens, ergo,* &c. Tu quidem negas minorem; sed finge esse veram, eique absolutè assentire, sicut Athei per erroneum principium decepti, absolutè illi assentiuntur. numquid illatio tam erit legitima, quàm si conditio impleta esset? & hoc solum contendit nostra Regula.

Confirmatur. Potest quis per errorem iudicare duas propositiones (etsi planè impossibiles sint) esse veras; & stante hoc errore ijs absolutè assentiri, non enim habet rationem dubitandi: e. g. his 2. *omnis leo est rationalis: omnis homo est leo:* Quæro an talis non bene inferat: *ergo omnis homo est rationalis?* certè hoc habet communis Sumulistarum sententia docentium, ex impossibili posse sequi verum. Exinde autem sic argumentor. Author supra factæ obiectionis, debet hanc receptissimam Sumulistarum doctrinam reijcere, aut fateri, ex conditionali habente conditionem inimplebilem posse deduci propositionem veram, necessariam, & *non nullius fidei:* si enim potest necessaria deduci ex impossibili, quam per errorem iudico esse veram, cur non etiam ex eadem impossibili, quam scio esse talem, fingo tamen esse veram, etsi conditio sub qua fingo & pono veram esse, sit inimplebilis? profectò in ordine ad illationem perinde se habent fictio, & error.

40. Denique Coronidis loco vnicam instantiam addo, vnde colligo ex conditionali habente conditionẽ inimplebilem posse deduci absolutam bonæ fidei. Pono nullum actum odij Dei eliciendum, & hoc constare ex reuelatione diuina; quo posito sic bene ratiocinor. *Illa Volitio est detestanda, quasi eliciatur, displicet Deo, sed actus odij Dei, si eliciatur, displicet Deo: ergo actus odij est detestandus.* Ecce! conclusio est absolutè vera, licet deducatur ex duabus præmissis habentibus cõditionem inimplebilem. Sed de his satis. Plura, quæ huic regulæ partium obiici possunt, etsi difficultate non careant, at talia sunt, vt eorum gratia non debeat penitus reiici, præsertim cum hucusque melior non prodierit in lucem. quod si quando talis regula inveniatur, quæ omni perplexitate careat, & scopulum omnem, aut certè præcipuas difficultates evitet, eam lubentes suscipiemus. Nunc, ne in Philosophiæ decursu partes constitutiuas cum connotatis merè extrinsecis aut similibus prædicatis confundamus, non sine discentium graui turbatione, hac Em. Card. Ioan. de Lugo clarissima Doctrina, ceu Lydio lapide imposterum vtemur.

Omnia ad maiorem Dei, Deiparæque Gloriam.

APPRO-

APPROBATIO THEO-LOGICA.

IN his Assertionibus Logicis de Natura & Partibus Denominationum, nihil fidei vel bonis moribus repugnat, continetur doctrina clara, & solida; prælo, & Academico certamine digna,

Ita censeo

Ioannes Schirmbeck Societatis IESV, SS. Theologiæ Professor, & nunc eiusdem Facultatis Decanus.

APPROBATIO PHILOSOPHICA.

HÆ Theses de Denominationibus Logicis, relatione, & regula partium perquam perspicuæ, & ingeniosæ sunt; quare iure, & merito in lucem prodire videntur plures illustratutæ.

Ioannes Henrich Soc. IESV, Philosophiæ Professor, & pro tempore eiusdem Facultatis Decanus.

ORNATIS ET DOCTIS DOMINIS PAVLO DIRCHK, ET MATTHÆO BIDERMAN, HARVM THESIVM PROPVGNATORIBVS.

ESt vetus elogium cunctis vulgare latinis,
E re difficili res quoque pulcra venit.
Sedulus id monstrat, durum qui scindit aratro
Agricola, & fruges colligit inde, solum.
Mille occans, & mille serens subit ille labores,
Hos tamen ingenti fœnore pensat ager.
Pergite spinosum Logices sulcare viretum,
Tu Matthæe, tibi; tu tibi, Paule, seris:
Cùm iacto optati nascentur semine honores,
Tunc Matthæe, tibi, tunc tibi, Paule, metes.

Honoris & amicitiæ ergò accinuit

Ioan. Bapt. Perschied Moguntinus Physicæ Studiosus.

D. O. M. A.

ISTOS

VIRTVTE, ERVDITIONE, AC INDOLE CONSPICVOS

CANDIDATOS

EX DECRETO INCLYTI COLLEGII PHILOSOPHICI

IN ORTHODOXA ARCHIDVCALI ET CELEBERRIMA VNIVERSITATE

BRISGOIO-FRIBVRGENSI

PRIMA PHILOSOPHIÆ LAVREA PVBLICE CONDECORABIT

DAVID HERELE

SOCIETATIS IESV

PHILOSOPHIÆ PROFESSOR ORDINARIVS

In Aula Bursæ Quarto Idus Decembris Anno M. DC. LIX.

SYLLABVS CANDIDATORVM.

I. Paulus Dirckh Constantiensis Acronianus.
II. Ioan. Baptista Fries Mãtuanus Italus.
III. Ioan. Casparus Böck Rottenburgensis ad Neccarum Suevus.
IV. Ioan. Hueber Alberschvvendensis ex Sylua Brigantina.
V. Matthæus Bidermann Sennhemianus Alsata.
VI. Franciscus Ignatius Prothasius Willig Constantiensis Acronianus.
VII. Ioan. Baptista Perschied Moguntinus.
VIII. Marcus Iacobus Bolz Rheinfeldensis Rauracus.
IX. Ioan. Franciscus Keller Bruntrutanus Rauracus.
X. Carolus Amrein Lucernensis Heluetus.
XI. Iacobus Christophorus Helbling Friburgensis Brisgoius.
XII. Ioan. Baptista Franckh Hochemminganus Suevus.
XIII. Wendelinus Hegglin Tuginas Helvetus.
XIV. Fridolinus Frey Friburgensis Brisgoius.
XV. Ioan. Beatus Hefelin Clingnouiensis Helvetus.

Augustinus Wild Friburgensis Brisgoius.
Balthasarus Keckh Endingensis Brisgoius.
Fridericus Iãget Friburgensis Brisgoius.
Hieronymus Reinhart Soloduranus Heluetus.
Ioannes Rottacker Engensis Hegoius.
Ioan. Adamus Ackerman Rottvvilanus Suevus.
Ioannes Brenzinger Oberkirchensis Brisgoius.
Ioannes Grell Seggingensis Rauracus.
Ioannes Iacobus Vogler Thannensis Alsata.
Ioannes Ludouicus Marqualder Badensis Heluetus.
Ioannes Martinus Faber Oberndorffensis Suevus.
Ioannes Martinus Seickher Rottvvilanus Suevus.
Ioannes Melchior Eberlin Rottenburgensis ad Neccarum Suevus.
Ioannes Thomas Weber Friburgensis Brisgoius.
Laurentius Gaschi Soloduranus Heluetus.

QVÆSTIONES IN ACTV DISCVTIENDÆ.

I. *An Philosophus sit Dominus totius Vniversi?*
II. *Quanta portio dominij Baccalaureis obtingeret, si Philosophi totius Vniversi Domini forent?*
III. *An peregrinum sidus nuper Romavisum hanc Philosophis Monarchiam portenderit?*

PERMISSV SVPERIORVM
Friburgi Brisgoiæ Formis Theodori Meyer.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST